

PRAEFATIO.

Rationem hujus meae Trilogiae Aeschyleae editionis in Praefatione ad Agamemnonem exposui, cujus fabulae haec continuatio sive supplementum est, ut hujus fabulae Eumenides.

Omnes tres fabulas corruptelis scatere omnibus notum est, hanc autem fabulam praecipue mendis laborare eo minus mirandum est quod unius tantum codicis archetypi auctoritate nititur ejus textus. Unde necessario factum est ut ad conjecturam, solum in re desperata remedium, persaepe confugiendum esset.

Ex hac parte, dum, ut soleo, suspectas lectiones indicavi et correctiones plurimas in annotatione critica proposui, ipsum textum vulgo receptum non temere mutandum duxi, nec conjecturas aut meas aut aliorum recipiendas esse quae non aut propemodum certae aut saltem valde probabiles viderentur. Qua ratione si omnes uterentur editores, mediam tutamque viam inter nimiam opinionis pertinaciam et licentiam effrenatam tenentes, spes magna foret textum paullatim non parum meliorem eo quem hodie habemus exstiturum esse. Cui bono enim est eandem semper semitam quam praecedentes editores studiose insequi? Quid proficitur, si in iisdem semper vestigiis insistamus? In hac re viri docti et sagacis, qui nuper Trilogiae hujus editionem summa laude dignam protulit, Arturi Sidgwick, sententiam afferre juvat, cui ipse penitus astipulor. "In carefully sifting the proposed emendations of the large number of scholars who have worked at this play, and in adding as few as possible of my own, I have taken a true estimate, I believe, both of the requirements of my readers and of my own powers. At the same time I am bound to add that, though the conjectures of the editors of Aeschylus are often bold to the verge of license, a prolonged study of the various editions